



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

CCXXII. Differentia 7. Pœna incestus & adulterii secundùm Canones mors
est,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

DIFFERENTIA 7.

Pœna incestus & adulterii secundum Canones mors est, c. Relegentes 23. q. 5. at secundum leges adultera non occiditur, sed in monasterium detruditur. Auth. Sed hodie, C. de adul. Bartolus 75.

I. **C**ym cruenta iudicia & supplicia Ecclesie moribus ignota sint, ut supra indicavimus, non bene Bartolus incestus, & adulterii pœnam secundum Canones mortem esse dicit: nec Gelasius Papa in prædicto c. Relegentes Ioanni patritio scribens quicquam definit, sed si adulterium morte puniatur (ut leges volunt) non remanere dicit, in quo vindicetur incestus. Cæterum adulterii pœna, quæ sit iure Canonico, facilius dictu est, quàm quæ iure civili sit, quia non eadem semper sancita, sed cum tempore mutavit. Secundum Canones tam masculus quàm femina excommunicatur, c. Intelleximus, de adul. insuper femina in monasterium detruditur; in quo, si maritus recipere nolit, toto vitæ tempore pœnitentiã agat, c. Gaudemus, eod. Clericus autem propter crimen adulterii deponitur, & similiter monasterio includitur pro totius vitæ exercenda pœnitentiã, c. Lator. 2. q. 7. Quod si hodie fieret, non multi ut alciatus loquitur, in plateis conspicerentur.

II. Legum pœna primùm deportatio fuit, l. 1. ff. de questio. Iure Cod. autem pœna mortis, l. Quamvis 30. C. de adul. Quam opinionem communem esse a-

put Iul. Clarus DD. tradunt, hodie secundum Ius Authem. in femina propter sexus fragilitatem pœna mitigata est. Nam virgis cæsa in monasterium intruditur, & intra biennium à marito non repetita, habitum induca perpetuò manere cogitur. Auth. Sed hodie, C. de adul. Quod in praxi nunquam vidisse se Clarus testatur, sed quandoque condemnatas in fustigationem, & exilium arbitrarium fuisse. Nunc eò usque variatum est, ut certum supplicii genus nominare arduum sit. Legum severitatem consuetudo sustulit, & tantum non arbitrantium beneplacito permisit. Interim gravissimè Principes peccare Iulius sæpe laudatus ait, qui adulterii gravissimum crimen severissimis legibus non coërcent, & executionem urgent, esse quæ hunc ex illis casibus unum, in quo Resp. Christiana reformatione indiget.

V. Menoch. casu 290. Decianus l. 6.

c. 23. Farinac. Part. 5. q.

141. n. 13.

* * *